

saltem semel in anno deputare pro Monasteriis sibi subjectis Confessarium Extraordinarium, aut Sæcularem, aut Regularem alterius Ordinis, alias ipsum poterunt deputare Episcopi. — 47. Et quod pro Monialibus subjectis Regularibus deputentur Confessarii extraordinarii, etiam qui ejusdem Ordinis non sunt Regulares, jam decreverat Sacra Congreg. in Neapolitana. — 48. Confessarii, et Cappellani Monialium possunt celebrare Missas Sanctorum, de quibus ipsa recitant Officium, sed cum Missali Romano, et de communi. — 49. Confessarii Monialium debent esse in ætate supra quadraginta annos. — 50. Socii autem Confessariorum debent esse in ætate supra quinquaginta annos. — 51. Confessarii Monialium non possunt ingredi Clausuram ad peragendum Officium Funeris. — 52. Alias omnes culpabiles incurrunt Excommunicationem violatæ clausuræ. — 53. Neque consuetudo excusat a Censura inflicta adversus violatores clausuræ, nec ab ea, quæ infligitur ab Alexandro VII. nec Episcopi, et alii Superiores possunt ad id licentiam concedere. — 54. Confessarius Monialium clausuram ingressus ad administranda Sacramenta, debet ire, et redire recta via absque diverticulo, nec potest in alia parte divagari, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria. — 55. Cum aliqua Monialis laboret in extremis, conceditur Confessario pernoctatio in mansione prope Monasterium extra clausuram, ut ingruente necessitate illico præsto esse possit vocatus. — 56. Dum Confessarius Monialis infirmæ Confessionem audit, cellæ janua debet remanere aperta, et ambæ Comitricæ debent morari ad ejusdem cellæ januam, ita ut Confessarius, et infirma ab eis commode cerni possint. — 57. Confessarii quovis tempore etiam de nocte in casu necessitatis possunt Clausuram ingredi. — 58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam Confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad Sedem Confessionalem. — 59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, Medicos, Chirurgos, vel alios. — 60. Confessarii non possunt ingredi clausuram, ad conspergendum Cellas Monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore. — 61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam Monialem energumenam. — 62. Confessarius non potest ingredi clausuram Monialium ad inibi Missam celebrandam. — 63. An Confessarius ingredi possit clausuram ad sumendam Particulam consecratam ipso in actu communicandi Moniales in Ecclesiam interiorem elapsam. — 64. Confessarius Monialium, etiam Regularis, non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui officii, modo per Monasterium non vegetur, sed expleto ministerio, statim exeat. Confessarius debet ingredi cum cotta, et stola, et non aliter. — 65. Confessarii Monialium quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis Sacramentis infirmis Monialibus; tamen hodie Confessarius Regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non debet, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat, et sit ætatis ultra quinquaginta annos. — 66. Confessarius Regularis monialium, ejusque socius (Confessionis, ac Sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem Moniales absque Sacre Congregationis licentia alloqui non possunt. — 67. Confessarii Extraordinarii Monialium ac Monasteriorum, in quibus degunt, at Religionis oneribus pro eo tempore dumtaxat, quo confessionibus audiendis occupantur, excusantur. — 68. Habitatio Confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit contigua, seu conjuncta monasterio, sed ab eo disjuncta, non solum per parietes, sed etiam per tecta. — 69. Confessarii Monialium debent audire Confessiones ex Sede Confessionali collocata, non quidem in Sacristia, aut alio occulto loco, sed

in ipsa Ecclesia exteriori. — 70. Confessariis Monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, et qualitatem Religionis victui illius sufficiat, eademque merces Monasterio, in quo degit idem Confessarius, si Regularis sit, persolvatur. — 71. Unde Confessarius accipere non debet a monialibus victum dietim, nec utensilia, vel lineam suppellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. — 72. Quæ non excedat duos Julios pro quolibet die. — 73. Confessarii Monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum monasteriis, seu in locis, ubi sunt Crates, vel Rotæ in Monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a Monialibus, neque ante portam Clausuræ. — 74. Confessarii Monialium an possint eas absolvere in Foro conscientie a Censuris occultis, et pœnis Papæ reservatis. *Remissive.* — 75. Ad absolvendum monialem, repentino accidenti correptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii Confessarii, potest licite quilibet alius Confessarius, seu simplex Sacerdos prope monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribunda beneficium absolutionis impertiri. — 76. Confessarius sollicitans Monialem est denunciandus Episcopo, vel Inquisitori. — 77. Monialis sollicitata, si nolit denunciare Confessarium sollicitantem, non potest absolvi. — 78. Moniali recusanti denunciare, non potest Confessarius protrahere terminum ultra tempus vi Edicti præfixum; censent tamen plures Doctores posse ei concedi tempus consulendi peritiores, dummodo id brevi præstetur, et interim data fide denunciandi, posse absolvi. — 79. Monialis recusans denunciare præ nimia verecundia alloquendi Episcopum, vel inquisitorem, seu præ timore, ne delegatur, aut alio simili respectu, potest denunciare per internuncium, seu per Confessarium. — 80. Alia de hac re. *Remissive.* — 81. His juvat addere novissimas resolutiones Sacre Congregationis Concilii. Sed quoad duas ultimas, attendenda est posterior dispositio Benedicti XIV. — 82. Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios monasteriis sibi subjectis. — 83. Si aliqua Monialis graviter aegrotat, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit ordinarius monasterii Confessor, huic a respectivo Superiore annuendum est. — 84. Hæc Confessarii extraordinarii oblatio bis vel ter in anno, præstari debet etiam cum aliis mulieribus, collegialiter degentibus, quæ unicum habent Confessarium. — 85. Rescriptum S. C. Episcoporum et Regularium. — 86. An Moniales ex lege Fundationis vel Consuetudine jus habere possint eligendi Confessarium ab Episcopo approbandum. *Remissive.* — 87. 90. An Confessarius Ordinarius Monialium ab Episcopo destinatus, et triennio elapso ex peculiari Indulto ad aliud triennium immediate sequens confirmatus, hoc altero triennio elapso, possit ab Episcopo destinari ad tertium triennium. — 91. Ad Episcopum pertinet cognoscere, tum approbare an Confessarius Regularis pernoctare debeat prope Monasterium. — 92. Quoad alia. *Remissive.* — 93. De Confessario Regularium. *Remissive.*

ARTICULUS V. — *Confessarius quoad ea quæ concernunt sollicitationem.*

1. Ad coercendam Sacrilegam sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione, seu prætextu ejusdem variæ sunt editæ Pontificiæ Constitutiones. — 2. Adducitur præ aliis Constitutio Gregorii XV, quæ est norma et regula in hac materia habenda. — 3. Sollicitatio quid sit. — 4. Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Dignitatis, aut Præminentie existant. — 5. Hinc sollicitans dicitur, et est denunciandus,

etiam Sacerdos non Confessarius, qui se fingens Confessarium, fœminas, seu adolescentulos ad turpia, seu carnalia provocat, et incitat. — 6. Secus autem si Laicus sit se fingens Sacerdotem et Confessarium. — 7. Talis vero Laicus esset denunciandus tanquam suspectus de Hæresi ex aliis Pontificiis Constitutionibus. — 8. Fœminæ sollicitantes in Confessione Confessarios ad inhonesta non sunt denunciandæ. — 9. Per personas sollicitatas intelliguntur hic fœminæ, et mares, puellæ, et pueri. — 10. Hinc tam mares, quam fœminæ quæcumque etiam Moniales, et mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis ad turpia, tenentur ipsos denunciare, et assignatur modus pro nimis verecundis. — 11. Sollicitatio fieri potest pluribus modis, nempe scriptis, verbis, signis, et nutibus, tactibus, oculis, et hujusmodi. — 12. Unde Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti, sive fœminæ, sive mari chartam postea legendam, in qua ad Venerem provocat tanquam vere sollicitans est denunciandus. — 13. Item vere sollicitans, et est denunciandus Confessarius ille, qui per inhonestos sermones Pœnitentem ad Venerem provocat. — 14. Et sic vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui in actu Confessionis, seu immediate ante, vel post dicit Pœnitenti: *Si ego essem Sæcularis, vellem te solum ducere in Uxorem.* Vel si dicit: *Memento mei, quia ego te ex toto corde diligo. Vel per mitte me, ut in domum tuam veniam, et amorem tibi ostendam.* Vel pulchritudinem ejus lascivis verbis laudat, atque commendat, et hujusmodi. — 15. Item vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui signis nutibus, oculis, tactibus lascivis Pœnitentem incitat, seu provocat ad actus venereos. — 16. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, et diversis temporibus, nempe vel tempore actualis Confessionis, seu immediate ante, vel immediate post; seu occasione, vel prætextu Confessionis. — 17. Unde Confessarius, qui tempore actualis Confessionis aliquo ex supradictis obscenis modis Pœnitentem ad venerea incitat, vere sollicitat, et est denunciandus. — 18. Et talis Confessarius est denunciandus, etiam non pro se, sed pro alio sollicitet. — 19. Confessarius, qui in Confessione per inhonesta verba cepit sollicitare fœminam ad turpia, quæ eidem consensit, sed post illa verba statim desistit, nec tunc Confessarius impendit absolutionem, sed differt tum complementum sollicitationis tum absolutionis, hoc non obstante, est denunciandus. — 20. Confessarius, qui fœminam Pœnitentem ante inceptam Confessionem, et dilata in aliud tempus Confessione, oculis, seu verbis, aut tactibus obscenis sollicitat, est denunciandus. — 21. Item denunciandus est Confessarius, qui, immediate post Confessionem, et datam absolutionem tradidit Pœnitenti chartam postea legendam, quæ continet verba incitantia, et provocantia ad Venerem. — 22. Item denunciandus est Confessarius, qui post auditam Confessionem adolescentis, quem novit pluries fuisse Sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit ad proprium cubiculum et ipsum ad turpia sollicitat. Vel ipsi statim post Confessionem dicit: *Veni hodie ad meam domum et tradam tibi Chirographum Confessionis, et ipsum illuc perrectum, ad venerem sollicitat.* — 23. Item denunciandus est Confessarius, qui fœminam in Confessione cognitam adulteram, et post ipsam Confessionem pro aliquo notabili tempore in Ecclesia commorata in recessu ad suam domum sollicitat. Vel ad ejus domum eodem die hac occasione pergit, ibique eam sollicitat. — 24. Item denunciandus Confessarius, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam ejus Confessionem domi, sequenti die illuc perrectus, eam postposita Confessione sollicitavit. — 25. Item denunciandus est Confessarius, qui hodie mulierem pro sequenti die ad Confessionem invitat, et ipsam, antequam accedat ad Confessionarium, prævenit et sollicitat. — 26. Item sollicitatio

fieri potest in pluribus, et diversis locis, nempe vel Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. — 27. Unde Confessarius in Confessionario sedens, si mulierem ad se accedentem, non ut confiteatur, sed alicujus negotii causa, sollicitet, est denunciandus. — 28. Adducitur, et solvitur instantia. — 29. Hinc denunciandus est Confessarius, qui in loco, ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulans ibidem Confessiones audire, mulierem ad venerea sollicitat. — 30. Confessarii sollicitantes in Confessione, vel occasione, seu prætextu Confessionis, tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, non ad venerea, sed ad alia peccata, non subjacent pœnis sollicitantium, nec ut tales sollicitantes sunt denunciandi. — 31. Item denunciandi non sunt ex vi dictarum Constitutionum Pontificiarum Confessarii, qui Pœnitentes sollicitant, non in Confessione Sacramentali, sed in aliis Sacramentis, nempe in ministracione Baptismi, Eucharistiæ, etc. — 32. Item propter eandem rationem plurimi defendunt, quod Confessarius fœminæ sollicitanti consentiens non sit denunciandus. — 33. Alii tamen volunt talem Confessarium esse denunciandum. — 34. Pœnitentes tenentur sub mortali denunciare Confessarium sui sollicitatorem Inquisitoribus, seu Episcopis. Et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali eos monere Confessarii. — 35. Denunciare Confessarium sollicitantem tenentur, non solum Pœnitentes sollicitati, sed etiam omnes illi, qui certo sciunt sollicitationem. — 36. Secus autem secundum multos, si non certo sciunt, quamvis alii sentiant, oppositum. — 37. Moniales, et Mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis tenentur eos denunciare, quamvis id facere vereantur, et assignatur aptior modus id faciendi. — 38. Confessarius sollicitans non tenetur denunciare seipsum, nec monere Pœnitentem, ut ipsum denunciet. — 39. Nec pater, mater, filius, frater, soror tenetur ipsum denunciare. — 40. Nec denunciare tenetur Pœnitens, si exinde prudenter, et probabiliter grave, et ingens malum sibi, aut suis conjunctissimis timeat. — 41. Denunciatio Confessarii sollicitantis faciendâ est Episcopis, vel Inquisitoribus. — 42. Episcopi sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ; alii tamen sentiunt oppositum. — 43. Inquisitores sollicitantes, ubi sunt veri Delegati Sedis Apostolicæ, et ejus Officiales, sunt denunciandi ipsi Sedi Apostolicæ; ubi vero sunt solum Subdelegati, et Commissarii Inquisitoris Generalis, sunt denunciandi ipsi Inquisitori Generali. — 44. Generales Ordinum Regularium sollicitantes denunciandi sunt Inquisitoribus, vel Episcopis. — 45. Denunciacione autem accepta, non posse ulterius Inquisitores, seu Episcopos contra dictos Generales procedere, sed debere rem totam deferre ad Sedem Apostolicam docent plurimi: Alii tamen defendunt contrarium. — 46. Obligati ad denunciandum Confessarios sollicitantes, si absque legitima causa, et vero impedimento negligant ipsos intra præfixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale, incurrunt etiam Excommunicationem latæ sententiæ. — 47. Nec obstat, quod Confessarius credatur jam emendatus, vel elapsus sit jam multum tempus a facta sollicitatione. — 48. Multi tamen sustinent contrarium. — 49. Terminus pro denunciacione faciendâ pendet ab Edictis Inquisitorum. — 50. Unde si non sit perpetuum Decretum Supremæ, et Universalis Inquisitionis de die 5 Jan. 1625, assignans pro termino 12 dies, standum est termino præfixo a respectivis Inquisitoribus, cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino. — 51. Pœnitens sollicitatus, qui ob non factam denunciacionem intra debitum terminum incurrat Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim de-

nunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit Privilegiatus. — 52. Pœnitens sollicitatus, qui ob omisam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi a Privilegiato, non autem a simplici Confessario. — 53. Sic Pœnitens sollicitatus, qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea extingatur onus denunciationis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato. — 54. Confessarius sollicitatus potest a quolibet simplici Confessario absolvi. — 55. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere Pœnitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantem denuncient Inquisitoribus, vel Episcopis. — 56. In aliquibus tamen casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. — 57. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi. — 58. In casu, quo reperitur intervenisse veram sollicitationem, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, Monialibus, servanda est praxis juxta Decretum allatum supra n. 40. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, recurrendum est ad Sanctam Sedem, et interim tanquam indisposita nequit absolvi. — 59. Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, si pœnitens sollicitatus confiteatur cum Confessario sollicitante sub prætextu, quod hic possit ipsum absolvere absque onere denunciandi. — 60. Quamvis Confessarius non moneat Pœnitentem de obliga-

ARTICULUS I.

Quæ requirantur in confessario ad valide, et rite ejus officium exercendum.

(1. In confessario, ut valide ejus Officium exerceat, requiritur Intentio, Potestas Ordinis et Jurisdictionis. (2. Intentio Confessarii est conditio sine qua non, ita ut sine ea Sacramentum Pœnitentiæ sit invalidum, quia Sacramentum debet exerceri modo humano, adeoque debet esse volitum. (3. Et talis intentio ut sit sufficiens debet esse actualis, aut virtualis, nec sufficit habitualis. (4. Est communis Doctorum. Potestas Ordinis necessario requiritur in Confessario, quia solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, ut de fide definitum est in pluribus Conciliis, et signanter in Trident. sess. 7. canon. 10. ibi: « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et in omnibus Sacramentis, administrandis habere potestatem, anathema sit; » et sess. 14, cap. 6, ibi: « Circa ministrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falsas esse, et a veritate Evangelii pœnitentis alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, et Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt, » etc. et Canon. 10. ejusdem sess. 14. ibi: « Si quis dixerit... non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo, » et quorum remiseritis peccata remittuntur eis, etc., anathema sit. » (5. Et clare constat ex c. 20. Joan. ubi Christus solis Apostolis jam antea in ultima Cena in Sacerdotes ordinatis, postquam a mortuis resurrexerat, dixit: « Accidite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis

tione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. — 61. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non moneant pœnitentes ab aliis sollicitatos de obligatione eos denunciandi, seu docent ad id non teneri sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. — 62. Confessarii ipsi vere sollicitantes gravissimis pœnis pro qualitate delicti puniendi sunt. — 63. Contra Confessarios sollicitantes æque procedere possunt Episcopi, et Inquisitores, sive unitim, sive separatim. — 64. Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur testes singulares concurrentibus tamen præsumptionibus, iudiciis, et aliis adminiculis simul comprobantibus. — 65. Una tamen fœmina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam et torturam, etiamsi concurrant alia iudicia, sed tunc est consulenda S. Congr. — 66. Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima Constitutio Benedicti XIV, in qua confirmat, et ampliat Constitutionem Gregorii XV, et reservat Papæ absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, aut procurant ut ab aliis falso accusentur. — 67. Sollicitantes ad turpia occasione Confessionis Sacramentalis, incurrunt inhabilitatem ad celebrationem Missæ. — 68. Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantes, illum occulte admoneat. — 69. Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia, et pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad crimina a re verecunda diversa.

peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » (6. Potestas Jurisdictionis etiam necessario requiritur in Confessario, quia licet solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui præter potestatem Ordinis, habet etiam potestatem Jurisdictionis, idest legitimam Jurisdictionem, vel ordinariam, vel saltem delegatam. (7. Et talis Jurisdictio Confessarii est jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis Sacerdos habet. (8. Unde absolutio data a Sacerdote sine Jurisdictione est nulla ex Tridentino sess., 4. cap. 7. ibi: « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » (9. Et ad hoc faciunt duæ sequentes propositiones damnatæ ab Alexandro VII. 24 Septemb. 1665, quarum prima tertiadecima in ordine sic habet: « Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobat. » Et secunda in ordine 16. sic habet: « Qui Beneficium Curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. » (10. Et ratio etiam est clara, quia absolutio est actus judicialis, adeoque ex parte Sacerdotis requirit jurisdictionem in subditos: nam sententia a suo Judice lata, nulla est ex defectu jurisdictionis; cap. At si Clerici 4, de jud. et Regul. 26. Juris in 6, et Trident. cit. sess. 14, cap. 7, ibi: « Quoniam igitur natura, et ratio Judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur. »

(11. Unde ex defectu Jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus neque valide

potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis, ut tenent Mastrius disp. 21, q. 8, num. 202. Faber, Brancatus, et Scotistæ magis communiter cum variis aliis; et ratio est, quia licet materia sit libera, absolutio tamen est sententia, et actus Judicii, qui actus Judicii in non subditos est nullus; cit. c. At si Clerici, et Regul. 26, Juris in 6, et Trid. cit. sess. 14, c. 7. (12. Et ad hoc facit, quod oppositæ opinionis usus fuit prohibitus ab Innocentio XI, 12 Februarii 1679, in Decreto de expresso suo Ordine edito a Sacra Congregatione Concilii circa communionem quotidianam, et Confessionem venialium; ibi: « Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. » Hinc absolutio impertita a Sacerdote non approbato ab Ordinario loci, nulla declaratur a Benedicto XIV, tom. 1, Bullar. Constit. 100, incip. Apostolica. (13. Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus, et Censuris etiam reservatis, ex Trident. sess. 14, cap. 7, ibi: « Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et Censuris absolvere possunt. » (14. Pro tali enim casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus, et tollit omne impedimentum Canonicum ex parte ipsorum, ut possint, licet sint degradati, Excommunicati, vitandi, Irregulares, Apostatæ, seu, hæretici, absolvere quoslibet fideles a quibuscunque casibus, et Censuris, quantumvis reservatis, maxime si non adsit promptus alius Sacerdos approbatus, aut proprius Parochus, ut est communis Doctorum sententia. (Vide tamen verb. Sacerdos, n. 38, et notam ad verb. Absolutio, Art. 1, n. 49, in Tomo 1.) (15. Quæ ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis, ut tenet communior Doctorum cum Barbosa de Offic. et potestat. Episcopi allegat. 25, num. 81, et cum Mastro disp. 21, q. 8, num. 203. In Jure enim quoad rem pro eodem sumuntur periculum, et articulus mortis; c. 29. Si quis suadente 17, q. 4, c. Eos qui, de sentent. excommunic. in 6. (16. Notanter autem fuit dictum, maxime si non adsit promptus alius Sacerdos approbatus, aut proprius Parochus, quia probabilis est quod simplex Sacerdos non possit absolvere præsentem Sacerdote approbato, cum tota ratio, propter quam conceditur simplici Sacerdoti facultas tunc absolvendi, sit, ut dicit Tridentinum loco citato: Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, quod periculum non adest, stante præsentem Sacerdote approbato (1). (17. Hinc aliqui Canones exprimebant hanc concessionem fieri in defectum

(1) Falsum omnino est, simplicem Sacerdotem, præsentem approbato, absolvere posse; tunc enim necessitas illa deest, ex qua simplex Sacerdos jurisdictionem acquirit. Itaque probabile non est, sim-

Sacerdotis approbati; cap. Aurelius 5, c. Presbyter 14, caus. 26, q. 6, et facit Regula ff. de regul. Juris, quod cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas, et regul. 78, Juris in 6, ibi: In argumentum trahi nequeunt quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa; Et sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Pignatell., tom. 10, consult. 163, n. 15.

(18. Ex dictis colliges primo, quod Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ sine debita intentione administrans peccat gravissime, et Sacrilegium committit; defectus enim voluntarius debite intentionis in Confessario est gravissima irreverentia facta Deo, et Sacramento, et perniciosissima injuria facta pœnitenti; (19. Immo graviter peccaret et sacrilegium committeret, etiamsi Sacramentum simularet ex gravi metu, vel alia gravi causa; Sic v. g. si pœnitens absolutione indignus minaretur mortem Confessario, nisi distincte, et integre verba absolutionis proferret, non posset distincte, et integre proferre sine intentione absolvendi. Et ratio est, quia talis simulatio est gravis irreverentia facta Deo, et Sacramento, quoniam qui affirmat Ego te absolvo sine intentione absolvendi, mentitur, affirmat enim se absolvere, cum revera non absolvat; mentiri autem circa formam Sacramenti est magna irreverentia illata Sacramento, et Christo ejus Institutori; propterea simulatio in Sacramentis est ab intrinseco mala, et hac ratione non excusat metus gravis. Colligitur a simili ex cap. de homine 7. de celebratione. Missarum, ubi Innocentius III. refert, et damnat casum de Sacerdote, ut sequitur: « Quæsi videris, quid de incauto Presbytero videtur, qui cum se sciat in mortali crimine constitutum, Missarum solemniam, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circumstantiis Missam celebrare se fingit, et suppressis verbis, quibus conficitur Corpus Christi, panem, et vinum tantummodo pure sumit, ita credens per id, quod præterdit populo satisfacere, ut per hoc quod intendit, Deum non debeat provocare. » Ad quem casum respondet immediate Pontifex præcisus his verbis: « Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sint periculis graviora; licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere qui sic fraudulenter illud præsumperit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se astringat: » (20. Ex quibus Pontificis verbis sic arguitur: Non est minor irreverentia Sacramenti, sed fortasse major dicere verba ab-

plitem Sacerdotem absolvere quempiam posse, approbato ad audiendas confessiones præsentem (Nota Rem. Theologi.)